

M I E E P L

1 6 4 7

Exemplum Epistolæ

54
4
**HENRICI
PATRICII LVBE-
CENSIS,**

Ad

**GERHARDVM N.
SENATOREM HAM-
burgensem.**

*In qua docetur quam infelici Consilio ordines Saxonie in-
ferioris se in exitialis Belli difficultates con-
jecerint.*

**QV D QV E I I S S E Q V E N D V M
videatur, vt extremum interitum possint
effugere.**

Nil Austria non efficient manus

Quas & benigno numine cœlites.

Tutantur, & cura sagaces

Expediunt per acuta bella,

ANNO M. DC. XXV.

EXEMPLVM EPISTOLÆ
PATRICII LVBECENSIS AD
GERHARDVM SENATORVM
HAMBVRGENSEM.



NCREDIBILE est quàm moleste modò cum nuper à nobis discessisti, atq; antea, tui desiderium feram, hoc maximè tempore, quonulla re magis quàm amicorum solatio indigemus. Quod quando crebris litteris nonnihil lenire instituis, benignius vel amiciùs præstare nobis nihil potes, Itaque cupidè Epistolam tuam legi, quæ de illis rebus erat, quæ post teditum tuum Hamburgum acciderunt, Cæterum quod de Repub. à me consilium expetis & periculosè & frustra id te exigere puto nullis enim Calchantibus in hac Iliade fides erit prius, quàm Calvinianis, vel facultatibus nostris, vel sanguine litemus, qui nos jam in orchestram suam produxerunt. Sequar tamen Epistolæ tuæ quæstiones, sed in proluxa re, parcè, & quantum licet, intrà Epistolæ modum. Interrogas quid de armis his sentiam quæ ad Circuli hujus tutelam esse feruntur? Vno verbo dicam cum Terentiano illo sene: Non sunt hæ veræ quas tu putas nuptiæ vel si veræ, ægrè id Cæsari persuadebimus. Quid enim, vel quæ ratio defensionis? ei arma & bellum committere, quem constat jam pridem aduersarum à Cæsare partium esse, & in Austriacorum fatum cum externis conjurasse? An non nuper ex Tillianis Castris Amsreuteri illius Britanniaë legati narrationes vidimus, quas Bremâ mihi misit communis amicus noster Schrichius, quid illæ de Dano, & alijs quibusdam nostræ regionis? Nunc etiam adjungo Britanniaë Regis mandatū solenne in Charleton Oratorem suum Hagæ Comitum, & cum quibus tractandum. Invenis Danum atque Brandeburgicum Electorem inter socios fœderis. Non putas hæc ad Cæsarem deferri, cum Mercatores nostri Papistæ palàm disseminent? qui & Secreta Regis Daniaë colloquia & publica de hac re tenent: consilium esse, Tillium pellere, & per vim restituere Palatinum: Aut non ipse id litteris quas vidisti, ad Cæsarem scriptis, satis indicare videtur, cum Tillio sibi rem fore? Huic ergo Philippo nos insani Achivi tutelam nostram, hortum nimirum hirco, lupo ovem, feli carnarium mandavimus. Quid magis suspectum Lauenburgico isto conventu, inter paucos Principes, de re tamen communi? vt prius Circuli Ducem haberemus, quàm faceremus: prius Exercitum, quam Ducem. Prætereo Brunsvicensem conventum, qui ex hoc profluxit: quæ ibi ratio suffragiorum, quàm omnia
ex

3.
ex libertate, scilicet, & more majorum acta? Ex quo Concilio etiam affirmantū & Negantum nova partium nomina emanarunt, cum alij Cæsaris litteris fidendū, nec gravandum inutili impensa, satis jam antè afflictum circulū; alij contrā contenderent, alij cum protestatione consentirent. Vbi tamen Lubecensis noster Demosthenes, vestris Hamburgensibus, cautiorē sententiā dixit: Quamvis & alia poterant adferri, si libertas adfuisset. Quo enim exēplo Rex, circuli Dux creatus est, vel verius semet ipsum creavit? Vbi leges Portiæ, legesq; Sempronix, cōstitutiones inquā nostrę Imperiales, quas juravimus, quæ circuli Ducē vetant alteri homini quā Imperatori & circulo Sacramento obstringi? Ille autem, an non Regno suo inaugurale Iusjurandū præstitit? At Holsatiæ Dux est, eoq; nomine Dictator noster, At quantò regnū illi Ducatu carius, tantò & Juramentum sanctius, quod Regno, quā quod nobis dixit, habiturus. Scis mi Gerharde, quid subtilitatis subsit, quod neq; Cardanus novit, neq; anti Cardanus Scaliger? ille vt Rex, licere sibi putat Cæsari bellū inferre, vt Rex, Palatini causam fovere, armis restituere, cū exteris Regibus fœdera contrā Austriacos, & in Imperatorē, cudere: Idē, vt Holsatiæ Dux, & vt Circuli Rector, nihil horum se agere vel acturum pollicetur. Commodè sanè jam à Calvinistis Dialecticā discimus, & separare personas, & diverso respectu eundē verberare & colere. Miserum me interim, si à Christiano vapulo, sive Danus ille, sive Holsatus. Jam pridē spectatur hæc Comædia & ridetur, Palatinus reverens Imperatoris, inimicus Ferdinandi. Dano tamen hæc proderit astutia, Cæsari bellum faciet, vt Rex opinor: ne sibi referatur, vt Dux, prohibebit, nostro ære & copijs nostris. Nequeo quin cū Gnato ne applaudam (libenter enim hodiè Gnatores audiuntur.) Istuc est sapere, vt nos instruxit, ipse sibi cavet loco. Sed tandem sit Dux iste probabilis: sapientiæ fuerit, Cæsari nos suspectos facere, arma concedere ei, qui majorum ætate & nostra, libertati nostræ semper adversarius, sæpè palàm hostis fuit? quem tandem inimicū dicimus, cui hanc defensionem opponimus? Audebimus ne hominem nominare? Quid diverticulis opus est, & tricationibus tortuosis, minæ jactæ sunt. Hispanica, & Barava arma, (quæ nos jam dudum clam fovemus,) in propinquo sunt, Cosaggi advolant, religio petitur, & nescio quid vanitatum. Eloquendum est, Cæsar nimirum est, cujus Exercitum, & Catholicorū, in vicinia ferre non possumus. Ad Cæsarem quid est quod modò magis quàm biennio ab hinc nobis formidolosum facit? Nescivimus nimirum illum esse Papistam & ex Jesuitica Schola? aut tam diu arma tenebimus, quoad ille religionem suam deserat? Vicinus est Tillius: An non antea quoque, cum Christianum Halberstadensem in visceribus nostris inimica molientem obsidere maluit, quàm ne nos offenderet, in herba nascens bellum opprimere? An non tūc etiam, cum eodem Halberstadensi ad Statloham fuso fugatoque victor hæc ipsa Castra, quæ etiam hodiè tenet, occupavit? Quid ei tum Hal-

berstadium petenti, atque eos quoque, a quibus omnem belli apparatus, tot electas machinas atque tormenta hostis acceperat, obstitisset? an exiguus is miles, quem irritamentum potius, quam praesidium habebamus? At nondum tunc illa mandata a Caesare ad Halberstadensem & Magdeburgensem Collegium prolata erant, quae deinde secuta sunt, quibus sub gravi comminatione Caesaris decreto jubentur parere. Audio sane, Episcopatus integri opulentissimam ditionem, inimico Principe excluso, Caesar deseruit, pacta fieri, Coadjutores legi tulit, permisit, ne verbulo quidem obstitit: auxilia, arma, commeatus hosti suppeditantes persequi neglexit: nunc triumphafforum, & mendicabulorum monachorum causam sic apprehendes, ut Germaniam totam, (quasi Turca, Gabor, Francus, Britannus, Veneti, Sabaudus, non satis sint hostium) in se concitet? Et tamen quae illa Reip, ratio est, Caesari, quoties iudicat, subditos arma opponere? At iniquum fortasse est, vel ad Evangelium extirpandum pertinet quod, sicut Carolus V. Imp. anno 1548. in hac ipsa monachorum causa, contra Senatum Halberstadensem iure decrevit, mandavit, pulsos monachos, iterumque restitutos, iterum depulsos restitui iussit. An in hoc religionis res vertitur? imo religionis, si iura ex Rep. excludimus, si vim & spolia probamus, si Caesari iusta decernenti obstitimus. Sed de Canonicis fortasse res est magis suspecta: quem nos ordinem, cum religioni incumbit, cum totos dies ex veterum institutis laudes Deo personat, tamen quia Reip. nihil prodest, eliminandum censuimus. Nunc, cum nullas nisi desidia & inertiae, Venerisque & Bachi aras colat, tantopere defendimus, ut ne meliores quidem istis, (nihil iam de religione dico) ferre velimus? Praeclare omnia quae ad divinum cultum pertinent, Lutherus noster instituit, sedis Canonicorum Evangelicorum regulam nullam praescripsit: unde audivi aliquando consulem nostrum urbane hos vesperationes, qui neque Evangelici sint, neque Papistae appellare. Cum Popinarij olim locum quendam Romae peterent ubi Christiani sui ritus cetum habebant, Imperator Ethnicus pro Christianis rescripsit, Quocumque ritu Deum coli satius esse quam Popinam. Tamen quae illa res sit Canonicorum videamus, Nempè Evangelici nostri Canonici, post sancitam religionis pacem, etsi beneficijs sese abdicare ex eiusdem jurati foederis edicto jubebantur, tamen a Catholicis tolerati, Catholicos aditu sui ordinis submoverunt. Non inquis, hoc factum est, neque decretum extat quo Catholici beneficijs remonentur. Scio, at tamen honores capere, vel, uti loquuntur, Capitulum ingredi, statuto nuper sancito, prohibentur, nisi in Augustanam confessionem jurent. Exemplum sub litera A. te informare hac de re plenius potest. Hoc, si non meliori, saltem eodem jure, quo Postulatus Episcopus Halberstadenensis, Dux Brunsvicensis & Lunaburgensis, licet anno 1591. author refotmatae Confessionis Augustanae, in diocesi sua fecit, sub literis B. & C. Caesar fieri prohibet, quia paci religionis, quam ipse Caesar juravit, adversum est.

1591

est. Quid enim si Calvinistæ quidam in vestro Senatu hodiè inter se conveniant, neminem Hamburgi in curiam & senatum recipi debere, nisi qui in Calvini dogmata juraverit, hac de re adire Cæsarem non debemus & legibus præsidium ab eo petere? Quin nos potius, si Evangelici audire volumus, ut Cæsari, quæ Cæsaris sunt, reddere, profiteamur, ita ipsi pro Cæsare hanc causam amplectimur, ut vigeat jurata pax religionis, cujus solius beneficio nos vigemus. Non tantum religionis incommodum est, tres Papistas amplius quam hætenus, Halberstadij tollerari, quam nostro facto Religionis fœdus aboleri. At tamen crescet hac ratione Catholicorum numerus atq; tandem ad Episcopatum adspirabunt. Sit ita sanè, cum quo tempore pax illa sancita est & diu postea Catholici fuerint Episcopi. Deo volente Evangelicos habemus, & impofterum, si eidem libuerit, habebimus. Deniq; vel tenenda nobis est religionis pax quam habemus, vel melior obtinenda. Sed quoniam hoc postremum sine perfidia, etiamsi armis prævaleremus, obtinere non possumus, merito verendum nobis est, ut veterem quoque illam, & nos ipsos, iniqua petendo, perdamus: Ita Bohemi vnius facelli ruralis diruti, & alterius oclusi causam egerunt, ut templa omnia, & religionis suæ usum perderent: Ita nos Cæsari legitima jubenti, obstitimus, ut quæ ejus beneficio consecuti fuimus, amittamus?

Cosaggis verò etiam est quod gratias agant Principes nostri. Non habebant defensionem quam Imperatori & Imperio ad probarent sumptorum, armorum, nisi Cosaggi hi, tanquam aliquis ex machina Deus longè inde à Silesiorum finibus ipsis apparuissent. O vulturei generis meos populares: nam ut volucres hæ diu antè præsentire solent ubi strages aliqua futura est, ita nos Cosaggorum adventum prælagivimus. Jam exercitum in eos paratum habebamus, cum de illis rumor adferretur: Jam præcesserant comitia circuli, in quibus agitabatur de exercitu isto quem habemus, sustinendo. Sed ubi tandem isti Cosaggi comparent? Cur eos tam longè disritos, nunc magis quam cum olim victores per Imperium volitarent, veremur? Cur Saxonia superior tam vicina arma non induit? Denique cur Cosaggos ex Circulo nostro, potius sumptuoso exercitu repellere volumus, cum inermes, sola in Cæsarem fide, ne ingrediantur, prohibere possimus?

Ex eadem sunt hæc omnia prudentia, atq; ideo optimè congruunt, quod Cæsarem alienum potius & diffidentem, quam amicum & benevolentem habere volumus: Exulum hæc sunt consilia: Calvinistarum arbitrio insanimus. Ille Hospes noster Magdeburgensis & deinde Megapolitanus hanc facem coniecit: Et quid prudentius ille vel elegantius inveniret, vel si ad carminis studium rediret, quò aliquando Tillium tam diu finibus suis inhaerentem in alias regiones averteret. Jam dum dedidicimus illam majorum nostrorum sapientiam, qui ex sua utilitate non alieno commodo, consilia capiebant: nunc ut quisque religionis & libertatis ma-

gna nomina cupiditatibus suis obtendit, quasi lymphati sequimur donec magna Germanici nominis infamia, ostendamus quantum à majorum virtute recesserimus. Ajunt tamen, Cæsari nostros egregio scripto satisfacisse. Quibus rationibus? Illis opinor, quas jam attingi, quæ fieri non potest, quin autoribus suis febriculosæ videantur. Itaque judico id parum judicio factum, cum quæ sic frivola sunt, vel deceptionis vel contemptus rationem per se ferant. Infanti melimela dato, fatuasque myriscas. Non sic eluduntur Papistæ, neque defenduntur Evangelici vel Germani. Olim tempus erat, cum nobis fidebant: nunc nimis diu, Calvinistæ imprimis, in suo eos ludo exercuerunt. Denique quid Cæsar hisce tribuat argutijs ex eo apparet, quod legiones integras apparare dicitur, imò jam ferè paratas habere. Quidquid est veterani & experti militis eò confluit, novam istam Danicam disciplinam oderunt. Ego itaque sic sentio non faciendam esse Cæsari suspicionem, idque longè, quam vt verbis eam eximere velimus: hoc autem fiet sià Dano & alijs confœderatis arma nostra revocemus, causam sejungamus.

Venio nunc ad alteram tuam quæstionem, si bellum futurum est, cum neutris amplius esse non licet, vtrius partis esse debeamus? Etsi verò sentio, quam absurdum sit homini Germano, qui Imperatoriam potestatem agnoscat & Imperij legibus teneatur, in hoc ambiguum hæere, tamen si de alio quopiam Principe interrogas, ita respondebo. Habet autem tua quæstio hanc obscuritatem, quod non intelligitur quas tu hic partes constituas: Ab vna quidem Cæsarem & fideles Imperij Princeps collocari puto, altera vel nos ipsi sumus, & frustra quæritur: vel Daniæ Rex est, quem salutis nostræ defensorem præfecimus. At tu illud videris præsupponere, si Danus Cæsarem oppugnatum eat, posse ab eo salva fide recedi & Exercitus repeti: quod ego quoque judico, & ita ordines reservasse ac cavisse scio: id tamen tam facile erit, quam Senatui Romano fuit, Dictaturam Julio armato auferre. Tamen si res ad eum casum veniat, vt vel Danus vltro Cæsarem oppugnet, vel Cæsar pati non velit illum arma tenere, & Germaniæ Paci legem dicere, vel necessarijs sumptibus devotos Imperij Principes atterere: Si quid hujusmodi eveniat, vti necesse est evenire, quod civitatum nostrarum munus sit, vel quibus se castris adjungant, id te petere existimo.

Quandoquidem autem periculum & utilitas hodiè in omnibus Curijs solæ regnant, honestatiq; & legibus jam pridem suffragij jus ademerunt, has tantum Deas suasores sequar. Quo loco hoc in primis provideri solet, quò verisimiliter victoriæ rota deflexura sit. Quæ quidem res cum nobis homunculis anceps sit & caliginosa & à Deo tantum petenda, ita veris partim religionibus, vt in Dei populo, partim à falsis superstitionibus, vt apud gentiles, exigebatur: Nec nostro tempore defuerunt homines qui cum Dijs se colloqui profiterentur, & scire quid Jupiter Ju-

Junoni in aurem dixerit: pauloque antè has turbas natas prodierunt Rosæ Cru-
 cis Cymmerij quidam fratres omni cortina Delphica, Cumanisq; antris plenius o-
 racula ructantes: Quàm autem illis omnia vera Apollo cecinerit, postquam men-
 daciorem puduit, nunc silentio profitentur. Unus adhuc Mævius noster, post
 Nagelium, pergitea, quæ Divo Joanni in Apocalypsi deerant, contexere, & Septen-
 trionales Leones (etsi prodigium est in Septentrione Leo, nisi aliunde & sereniore
 cælo illatus, ad somnia tamen hoc nihil interest.) ex Cimbricis specubus emittere.
 Qui etiam non deterior videns (scilicet) quam olim Samuel fuit, sceptrum Regi
 antè biennium dicitur, obtulisse, sed ferreum, quo tanquam vas figuli Papistæ com-
 minuantur. Ambigas, majori vanitate id homo ille ausus, an Rex, quia recepit.
 Hosce vates si sequi necesse est, utique & nos triumphum Cimbricum coronati ad
 ipsum vsque Capitolium sequamur, nemo nobis Marius occurret. Sin hoc to-
 rum phanaticorum mendacium & impiorum hominum genus, Evangelicam no-
 stram sinceritatem infamat, sacras literas pro deridiculo sacrilegè prostituit, in o-
 mnes magistratus, contra Dei legem impunè grassatur, somniare hos & esurite, vel
 quod ipsis epularum omnium instar est, suo sibi succo, id est, mendacijs suis &
 Chymeris victitare sinamus. Condonari potuit antiquitati ad distinguenda sidera
 ex Poetarum fabulis cælum monstris & imaginibus replere, accedere deinde otio-
 sos homines, qui ex his futurarum rerum scientiam eruere profiterentur. Hoc ve-
 rò omnibus flammis dignè vindicari nequit, quod sacrum Instrumentum & divini
 spiritus oracula, in Regum adulationem vel perniciem torquentur. Si recta tenere
 & sequi volumus, ex Evangelicis præceptis hæc, non astrologorum horoscopis,
 non Cabalistarum apicibus petenda sunt: Ex Evangelio discimus rectæ causæ De-
 um assistere, iniqui & maxime fraudis atq; calliditatis vindicæ esse: timendum De-
 um, honorandum Cæsarem, reddendum Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Ab Apostolis
 docemur, quisquis potestati resistet, Dei ordinationi resistere, qui autem resiste-
 rint, sibi ipsis iudicium accepturos: nam Principes non timori esse benè agenti-
 bus, sed malè. Hos si timere non velimus nequaquam id conscriptis militibus mo-
 liendum, sed ut quod bonum est, faciamus. Ad hæc & plures in hunc sensum regulas,
 si consilia nostra, tanquam ad Lydium lapidem, examinaverimus, satis constabit
 quarum nos esse partium oporteat. Quid enim Danus quæso in Cæsarem causæ
 habet, cui sanctissimo juramento adstringitur? An quod nepotis ex sorore Palati-
 ni causam defendere cogitur, quam nemo plus ipso & verissimo quidem iudicio
 damnavit? Cui enim ad æquè doluit optimum adolescentem, consiliariorum
 suorum fraude circumventum quam Daniæ Regi? Et quid mirum, cum socer ipse
 Angliæ Rex eandem, communium etiam liberorum respectu deposito, improba-
 ret? Meministi Gerharde, acerrimæ increpationis, non alicujus Mitionis, sed duris-
 simi

simi Menedemi, qua ex Bohemia profugum Fridericum excepit. Quod si tamen tempus aliquod fuit, quo profugo atque deserto ignosci debuit, vel fortunæ ejus calamitas miserationem invenire, illud erat, cum semel tantum peccaverat. Cimber aliquis oggeret, non vult Rex noster, vt alienum Regnum possideat, sed vt suam provinciam, veteremq; dignitatem recuperet: non vt Bohemiæ Regi, sed tanquam Palatino Electori, auxilia ad recuperanda sua quæ amisit præbebimus. Quousque tandem his respectibus & vmbriis vtimur: Ille tamen Palatinus Bohemiæ Regis titulos interim vsurpat, de Bohemia, tanquam sua, cum alijs transigit, Bohemiæ ditiones Gabori, & nescio an non alijs quoque, addicit, pervulgatæ enim sunt de hac re nuper Palatini literæ. Et sanè esto patrium solum & Septemviratus honorem Danus pro Palatino prætendat, nostrum ne est, quid in hac re Cæsari liceat, judicare? alienum Regnum invasit, id Danus fatetur iniquè fecisse: suam ditionam perdidit, etiamsi Chinensis Rex, non Imperij Princeps, Palatinus esset, id ne iniquum posset videri? Precibus hac de re Cæsarem adiri oportet, non armis cogi: vel si armis, non à nobis. Poterat initio aliqua incautis fati & religionis larva imponere, cum singulas provincias à Cæsare recedentes audiremus, cum Viennensibus muris Austriacæ nobis domus fortuna conclusa videbatur, cum intra hæc ipsa mœnia magna pars conjuratorum hæreret, tanquam tempus hoc esset, quo non tam Calvinisticis consilijs, quam fatorum alia vi, sive, (vt magis Evangelicè loquamur) divina providentia Babylonici muri compages quateretur. Nunc verò tam continuo victoriarum tractu, quid aliud numen divinum ostendit quam fraudem, perfidiam, infidias, quæ Cancellaria Anhaltina in claram lucem protulit, minimè Evangelici Regni seu fundandi seu tuendi, tuta præsidia esse, neque divinam in hac causa voluntatem sed nequissimorum hominum fraudem atque perfidiam fuisse versatam?

Nos tamen horum perinde recordamur quæ adhuc in conspectu & sub manibus sunt, ac si apud Indos & antè Iliaca tempora accidissent: Sed ita est mi Gerharde, quorum Deus statum mutare constituit, eorum consilia pervertit. Quid enim de divinis consilijs amplius dubitandū est, quæ tam apertè contra rebelles & ad summæ potestatis quam agnoscimus, tutelam se protulit? Multus tibi videbor in hoc argumento, merito equidem: nam primum hoc esse Christiano & Evangelico debet, divinæ voluntatis tum verbo, tum exemplo, edita sequi documenta: Mihi quidem (ita Evangelicus sim & Germanus) præstabilius videatur à Papistis opprimi, quam cum tanto Evangelij dedecore esse superiorem. Quid Deus à nobis exigat dixi, nunc quid politica ratio ferat. Atque imprimis quis illa, cui adversus victorem, & Cæsarem, & in Dei tutela positum, fortunas nostras committimus, & cujus, sine ratione, periculum accipimus? Rex ille est nimirum: in quo si omnia
dispi-

9.
dispiciam, aliud nihil reperio quod prodesse nobis possit, quam quod Evangelicus audit. Ego autem malim sequi Regem, non qui nominatenus, sed re, & Evangelicè, actus suos instituat. Bellum autem cum Imperatore geri Christianè & Evangelicè, sine causæ Justitia, non potest. Cætera verò, quam sunt non in Politicorum schola, sed opificum & mercatorū aliquo contubernio, si examinentur, aliena? Nam quid ego de veteribus simulatibus, de civitatum nostrarum oppressione, commerciorum clade, libertatis oppugnatione, antiqua & recentia refricem apud te, qui illius nostræ Reip. inter paucos consultissimus es? Hoc solum vide, sive cum Cimbro vincimus, sive vincimur, utroq; modo perimus: quorum alterum apertum est, alterum verò non ita multo amplius obscurum. Si enim nostro milite & victore utetur, ubi cætera illa vrgere inceperit, quæ hæctenus contrà libertatem nostram intendit, quæ illi alium militem opponemus? Civitates habemus munitas & populo frequentes: at ille agrum tenebit univrsam, nos in quas volet condiciones, (eas autem volet, quas hæctenus jure injuriæq; persecutus est,) ut feras cavea conclusas, non ferro sed fame adiget. Unica Politicis sine exceptione Regula est, *non esse intendendam potentiam cui pares deinde esse non possimus, nec spectandum quid factururus sit vicinus Rex vel Princeps,* (id enim omni artificio occultitur) *sed quid possit:* neq; aliud de hoc Rege, (cujus te aliàs virtuti favere, salva libertate domestica, semper cognovi,) dicam, cum deberem complura, si locum istum vellem complere. Tantum hoc videre nolim & omni consilio prævertendum existimem, Septentrionalem istum leonem, cum æger aliquando fuerit, (quam ei medicinam naturalium rerū indagatores esse produnt,) nostrorum simiorum sanguine sibi mederi. Hoc sanè prospicio verè Leoninam nobis hanc Societatem futuram, ut penès ipsum belli præmia, penès nos pericula sint, vel nos ipsi deniq; in præmium & prædam. Quis enim nescit in hujusmodi confæderationibus sic unum alteri opes suas auxiliaq; deferre, ut quisq; quod maximè cupit, consequatur? Quis scit an non Lubeca, Hamburgum, Brema, Daniæ Regi in fæderis tabulis assignentur? Nunc reliqua videamus: atq; imprimis illud, si de belli eventu aliquid prædicendum, spectari debere opinor, quæ Ducis virtus sit, quæque militis, si cum alterius partis Duce & milite comparetur. A Cæsaris partibus Tylilius Dux est, tot acierum victor, ut videatur fortunam non amicam, sed obnoxiam habere: Huic quæ opponat Rex, non habet, nisi seipsum, Sit ille sanè animo par Tylilio: experientia, vsu, arte, quæ prima in Duce belli quæri solent, qui potest? Raro aliquid Reges perfectè discunt, quia ab adulatoribus discunt: Sed esto sanè Leo noster Imperator, exercitum quidem ejus collectitiam turbam, præter nobilitatem (quæ torques suos ostentatum hosti venit, ut animosius ipsos aggrediantur) agmen cervorū esse apparebit, ubi ad manus cum veterano Tylilij exercitu, semper vincere assueto, fuerit deventum. Quis autem vel ipsorum Holsatorum, (etsi gloriosum

B

genus

genus hominū est, & vno poculi haustu hostium integras catervas ingurgitare soleat, Tribunos & Chiliarchas nostros, cū Cæsareanis & Ligisticis audeat contendere? An Imperatorem Danum solum putamus, sinē adminiculis tantam belli molē sustentaturum? Ad alia propero, & quemadmodum communibus consilijs bellum hoc administraturi simus perpendo: Vbi illud primò occurrit, quo luto hæc testa commista est, quam sub tutela circularis nomine obtrudimus, tanquam arenam sine calce hæere non posse. Vide enim mi Gerarde ex quibus partibus & quomodo coierit: Quam omnia dissentanea & aduersa ac repugnantia Quantum Rex jam antea Episcopatum aucupio potentiam suam auxerit, nuper apud te fabulabamur: vbi inter nos illud conveniebat, nihil imprudentius Danum commissurum, quam si consilia, quæ hætenus tam pulchrè ei provenerunt, totius reliquæ interamnensis Saxonie potiundæ, in qua Germaniæ robur multi viri prudentes constituunt, præcipiti audacia commutaret. Quis autem putet Principes non animadvertere, quod nos oppidani homines nō comprehendimus modò, sed aduersis consilijs (nisi quod in hoc præcipuo, nescio quæ nos Erynnis confudit) præstruere laboramus? Brunsvicensis quidem bonus Princeps, sed suo malo, quò minus astutus est, eò primus omnium haud equidè sensit, (multi enim id antè ipsum) sed publicè se sentire ostendit. Quis hunc non scit annis hisce à Dano, perinde vt pupillum à Tutore, gubernari: non Principatus modò, sed Oeconomie quoq; ratio ex Cimbrica petebatur, Et tamen præter omnium expectationē nuper nihil difficilius fuit, in milite decernendo: nemo qui magis censeret, fidem in Cæsare reponendam. Cur istud? videt enim non solum Episcopatus peti, sed suæ domus decora ad Cimbrōs transire, præfecturas obligari, orbitatem suam & mortem in spe esse. Lunenburgensis verò quid sentiret, ipsa sua absentia declaravit. Alij quoq; quid periculi subeant, sciunt, sed dicere mussant. Quid autem in istis fœderibus habendū, vbi non fines tantum diversi sunt, sed animi ipsi inter se, pressis odijs, dissident? Nolo hic occulta Principis proferre, neq; opus est ad te, qui hæc à principio nosti, & à quo plurima, quæ nesciebam, didici. Hoc sanè fatendum est, quidquid vsquam discordiarum est, in hunc Circulū confluxisse. Principes & Nobilitas, Civitates oderunt: & hæc illos, Rex Civitates & Principes. Et sanè illud hætenus expertus sum, quàm fuerit Civitatibus nostris, quæ Episcopos habent, atq; etiam Nobilitati oportunum, Cæsarem non agnoscere illos nostros Episcopos, nec Regalia jura illis conferre. Quare non libertatem modò nostram, sed auctoritatem præclare stabilivimus: At Episcopis hæc vna causa est, qua à Dano in partes trahuntur. Ideò à Lauenburgensi cōventu nos exclusi fuimus, nempe quod illud argumentum minimè putaretur, ad nos capiendos pertinere. Stultè ergo facimus, quando hic principibus nostris finis est, si eos contra nos ipsos juvamus. Civitatibus autem ipsis, scilicet, inter se rectè conyenit; omnes in commune

con-

consulunt, libertatem suam tuentur? Quasi id vnquam fuerit, vel fieri possit, Civi-
 rates, quarū quæq; id sibi decedere putat, quod alteri accedit, inter se omnino con-
 sentire? Lubeca nostra, an non felicitatem vestram limis oculis intuetur, cum pristi-
 num suum honorem vnà cum lucro ad vos transire animadvertit? Quid Bremen-
 ses? an non, si possent, ipsum vobis Albim avertent? sicut nonnullis alijs Civitatibus,
 nescio an non contra gentium iura, in Visurgi jus navigandi prævertere conantur.
 Nec inter plures Civitates modò hæ sunt æmulationes, sed in iisdem, quasi vnus
 corporis membra, gravissimè inter se videas dissidere. Quod malum, etsi apud nos
 tantum hæere putabam, vti tamè nuperè sermonis tui de Hamburgensis Reip. sta-
 tu recordor, ita nos beatos esse iudico. Vt autem alia fermè eadem sunt, Justitia ta-
 men apud nos, & ærarium publicum melius administratur, nec vnus Consul, vt
 vos, apud quos Auceps ille solus aucupium facit, factiosam potentiã ferimus. Quid
 tandem futurum putas, si belli huius, vel alia occasione Cæsar, plaudentibus Civi-
 bus, fœderis tabulas, quod clàm populum, cum Batavis habemus, videre, si rationes
 publicæ pecuniæ exigere cœperit? si in publicum emanet, quantam pecuniam an-
 nuam, quasi tributum, Batavis pendamus? cum id Cives existiment Imperij bono &
 Cæsaris, impendi? Quam verò ob causam? nisi vt Batavorum armis nos adversus
 Principes, quibus cum nunc tam præclarè nobis convenit, muniamus? Etsi enim
 Octoviros ex populo, postulãte plebe, vos creasse, ex te cognoverim, qui pecuniam
 publicam tractarent, & Camerarij vocentur; cum tamen ex his Senatores eligere
 soleatis, illud quod futuri sunt, potius spectant, vobisq; inserviant, quàm plebis, ex
 qua emergere student, commodum, suo incommodo anxie curent. Itaque hac re
 & infamiam vestram majorem (quod apparuerit meritò vobis Cives diffidere) nec
 Rempub. meliorem fecistis. Memini ante hæc, cum Francofurtenses, hac eadem de
 re, se commovissent, & ad Cæsarem res decureretur, quis timor Civitatibus nostris
 iniectus, quanta trepidatio, ne quæstio hæc etiam huc traheretur. In Jure verò di-
 cendo hoc vnice hætenus providere voluimus, ne Cives nostri ad Aulam Cæsa-
 ream appellent. Cur? ne Cæsar intelligeret, quanta sit iudiciorum nostrorum cor-
 ruptio atque perversitas, & ea fortassè remedia ordinaret, quæ huic rei antiquitus
 fuerunt instituta: At nuper illud quidam, vobis ringentibus, ausi fuerunt super Ber-
 geri hæreditate, vt audio: inter quos & quidam Cives nostri sunt: Hi, si causam ob-
 tinuerint, multi alij sequentur. Igitur opinor, intelligis, quæ præsidia habeat Impe-
 rator, si adversus eum arma induerimus, vt nostris nos civibus, quasi proprijs mani-
 bus strangulet, aut ex nostro nobis corio faciat habenas.

Quid dicam de proscriptionis fulmine, quo etiam sine ferro prosternemur?
 Etsi enim magnos illos Titanes, Regalibus ortos parentibus, eo suspirantes hodiè
 cernimus, nec, quamvis oppositis montibus, satis adversus hunc sese Jovem defen-

dere, nobis tamē ex eo semper majus exitium fuit, sola mercaturæ facultate, per quā
 vivimus, adempta: qua jacente simul & mechanicarum artium collegia in nostram
 pernitiem armabuntur. Nulla nobis subsellia judicum subvenient, à nemine jus
 vel debitum consequemur: debitores nostri, etsi pessimè aliàs in Cæsarem anima-
 ti, hac tamen parte proscriptionem nostram æquissimam ferent. Quid de rei por-
 rò pecuniariæ inopia, si bellum trahetur? Meministi in proximis Circuli conventi-
 bus quæ de residuis querelæ fuerint: qui hisce dissoluendis nō sumus, quo consilio,
 vel potius, qua insania, in novam hanc expensarum voraginem impellimur? An nō
 omnia Principum, omnia Civitatum æraria jam olim exinanita, exhausta, exente-
 rata? tamen Civitatibus, si quid est reliquum, id eò destinabitur: hæc enim antiqui-
 tus est Principum nobiscum societas, vt ab ipsis consilium, à nobis pecunia peratur:
 factas ad hoc esse Civitates existimant, vt ipsorum cupiditati, nostræ opes serviant:
 Si veterum obliti sumus, nupera illa Vnio, an non in Civitatum ærario fundamen-
 ta sua constituit? an non his subtractis, ipsa protinus corrui? Legisti Anhaldinam
 Cancellariam, qua fraude cum Civitatibus actum, quam nihil amplius illas Princi-
 pes scire voluerint, quam vnde pecuniam expedirent. Nullus in Comœdia servus,
 tam graphicè Herum argento emungit, quam nos isti. Hic si (prout necesse est)
 suppeditandis sumptibus defecerimus, quos infestiores hostes habituri sumus, quā
 hos ipsos Principes? In nostrum agrum miles educetur, imò intra nostra mœnia
 stipendia exiget? Commeatum, mercimoniorum invectio omnis jacebit: Nec sa-
 tis erit, Principibus nostris dedisse: victor Cæsar quam mitiorem pœnam nobis im-
 ponere potest, quam vt qui bello occasionem præbuimus, militi ejus stipendium,
 persolvamus? Nondum oblitteratum est illud ex bello Germanico superiore, solvi-
 te Reichsstätt iterum, &c. Multa possem alia adducere, quæ bellum hoc nobis,
 Cerberi instar & Hecates in visum facere debeant, nisi hæc ipsa antè nimis multa:
 vna sententia concludo, si quiescere non possumus, vbi propinquior Deus, vbi me-
 lior causa, Dux & exercitus instructior, magis vnum consilium atq; potentia, certio-
 res opes, Deo jubente, postulante conscientia, accedamus: Denique si quid secius
 eveniat, melius nobis erit cum Cæsare vinci, quam cum Dano vicisse: Integra no-
 bis adhuc sunt omnia: abire à societate hac, salvo honore, possumus: Sin cuncta-
 mur & periculum semel suscipimus, prodicionis etiam à nostris insimulabimur.

Vale. Coniunx mea, tuam mecum salutat, Hæc ex suburbano meo, nam Lu-
 becæ pestis validè gliscit, & ipsa quoq; suadet, vt vno Dei flagello
 contenti simus. 29. Junij, Anno

1625.

Ego

A.

EGO N. juro & sanctè promitto, quod secreta Capituli non pandam, quod statuta & consuetudines hactenus observatas, & à pietate & honestate non alienas, observabo, decretis & mandatis Capituli, vel majoris partis, absq; contradictione, obtemporabo, quodque ex animo complectar, Veram & Orthodoxam religionis doctrinam, compræhensam scriptis Propheticis & Apostolicis, ac summam repetitâ in Augustana Confessione, anno 30. in Comitij Caroli Quinto Imperatori, cæterisque Imperij Ordinibus exhibitâ & prælectâ & abhorream, ab omnibus fanaticis opinionibus & erroribus, Pontificiorum, Jesuitarum, Calvinianorum, aliorumq; Sectariorum, cum sacris literis, ac prædictâ Augustana Confessione invariata pugnantis, ac dissentientibus, nec pro mea parte permittam, vel procurabo, vt eorum exercitium publicum, in hac Ecclesia restauretur, vel introducatur. Et hanc Confessionem meam, antequam ad residentiam admittar, infra mensis spacium, publico Sacræ Synaxeos, vt vocant, sive Cœnæ dominicæ vsu in Cathedrali Ecclesia nostra, solenniter edam, & confirmabo, sanctè & fideliter, absq; omni furo aut dolo inprimis verò exclusa æquivocatione Jesuitica, & Pontificis Romani à præstito hoc juramento absolute, aliàs ipso facto, perjurij notâ infamis, præbendâ meâ, omnibusque beneficijs Ecclesiæ privabor, &c. Sic me DEVS adjuvet & hæc Sancta DEI Evangelia.

B

In Gottes Gnaden Wir Heinrich Julius Postulirter Bischoff des Stiffts Halberstadt Herzog zu Braunschweig vnd Lunenburg thun hiemit Kunde / vnd zu Wissen / demnach auff Unser an ein Ehrw: DombCapitul zu Halberstadt abganges Schreiben / sub dato Prag den 16. Februarij die renovation eines juramenti, Auch wie es sonsten hiernegst mit den Capitularn so zu der residentz zu verstaten / gehalten werden solle / Wir befunden / daß vnder den Capitularibus, dieser wegen zweyung entstanden / in dem dieselbe / so der Augspurgischen Confession zugethan seyn wollen / eine formulam novi juramenti, auch sonderbare vergleichung auffgesetzt / vnd zu Unser Confirmation, vnd Vollenziehung / zugeschickt / die anwesende Catholische aber vor sich / vnd in nahmen der abwesenden davon protestiret, vnd sich des-

B ij

sen /

sen/daß es dem Religions frieden/ auffgerichteten pactis juratis, auch Un-
ser erklärang/ die jedesmahls bey dem Reformation Wercke vorgangen/
daß niemandts in sein Gewissen beschweret werden solte/ durchaus zu wi-
derlieffe/ sich dieser wegen auch zum höchsten beschweret/ vnnnd dabey wol-
meinende erinnerung gethan.

Daß Wir demnach solchem allem fleissig nachgesonnen/ vnd weil Wir
denn gemeinet / vnd entschlossen / mit Unsern willen nicht das geringste /
so angezogenem Religion frieden/ auffgerichteten pactis juratis, vnd Un-
ser einmal gethanen erklärang vnd resolution zuwiderlauffen möchte/ zu-
verhängen/ anzuordnen oder zu statuiren. : Als wollen Wir auß ober-
zehleten beweglichen vhrsachen / zu mehrer erhaltung / friedes/ ruhe/ vnnnd
Einigkeit/ auch ander besorgende gefahr vnd weitläufftigkeit/ so darauß ent-
stehen möchte / zuverhüten/ vorigen abgangenen Befehlich/ wie auch was
sonsten dieser wegen sich etliche Capitulares, verglichen haben mögen/ vnd
Uns zur confirmation, zugeschickt/ hiemit cassiren, annulliren, rescin-
diren, doch soll vöriger vergleichung/ zufolge / das Christliche Reformation
Werck/ wie solches abgeredt / vnd sonderlich was das publicum Exerci-
cium anlangt / durchaus in seinem stande vnnachtheilig / vnnnd vnbe-
trübet verbleiben/ vnd dem zuwider oder zu nachtheil / hiedurch nicht das gering-
ste/ eingereumet werden/ sondern nur einzig vnd allein/ das Neue / vnnnd
letzte/ von den Catholicis, angezogenes Gravamen, in specie, gemeinet
seyn/ wie Wir dann auch sie sambtlich/ wie solches ohne das Christlich vnd
billich/ zu Christlicher Brüderlicher Liebe/ vnd Einigkeit/ vnd daß sie aller-
seits/ zu mehrer vnd neuen Verbitterung/ Zweyung/ Trennung/ vnd Un-
einigkeit / vorsehlich/ auff der ein: oder andern Seiten/ kein anlaß geben
wolten / sie gnädigst / vätterlich/ frewlich/ vnd wolmeintlich/ erinnerdt has-
ben wollen : Dessen zu Vhrkundt haben Wir dieses/ mit eigen handen /
vnderscriben / vnd Unsern Fürstlichen Cammer Secret wissenschaften be-
druckten lassen. Datum Pragæ den 11. Aprilis, Anno 1613.

Heinrich Julius Kt.

Was

W Als der Capitularn des Stiffes Halberstadt/ so der Augspurgischen Confession zugethan seyn/ abgeordneten/ so wol mündlich vorbracht/ Als auch in Schrifften/ vermöge gehabter instruction, vbergeben/ das haben Wir ganz wol eingenommen/ vnd verstanden/ vnd auff dreyn Hauptpuncten beruhend befunden/ vnd erachten Wir nun anfangs so wenig pro autoritate, als de necessitate zu seyn/ Uns/ wegen der sehr gespizten vnd gescherfften betrohlichen respective anzuglichen instruction, Uns in einige weitläufftige disputation, dieweil Uns denselben allen zubegegnen/ gar leicht seyn/ vnd keine mühe geben solte/ einzulassen/ sondern wollen solches alles dem hüzigen Concipienten, vnd Jungen/ auch in solchen hochwichtigen Sachen/ vnerfahrenen Consulenten, imputiren, vnd nuhr schlecht/ vnd rundt/ kurzlich/ auff jede Puncten/ Uns folgender gestalt resolviren.

Vnd so viel anfangs/ das angezogene Schreiben sub dato Prag den 16. Februarij: welches den darauff folgenden 20. ejusdem, wie Wir solches auß ihrem vorigen Schreiben/ sub dato den 25. ejusdem verstanden/ eingeliffert seyn soll/ dieser wegen Wir Uns dann/ der geschwinden infinnuation halber/ nicht wenig verwundern/anlangen thuet/ mag wol seyn/ daß dergleichen Schreiben/ so aber in Unser Cansley alhie nicht concipiret, davon auch keine einige Copen zufinden/ der gestalt/ wie es von dem Domählichen Sollicitanten selber auffgesetzt worden/ abgangen seyn mag/ vnd daß Wir Uns damals/ dieweil Wir nicht vermueten können/ daß solche weitläufftige hochschädliche Trennungen hierunder gesuecht werden solten/ solches zuvollenziehen bewegen lassen/ dieweil aber eben zugleich/ wie die Evangelische Capitulares sub dato den 25. Februarij, ihr statutum Uns zugeschickt vnd Confirmationem gebetten/ sub dato 26. Februarij, von den Catholischen Capitularn ein Schreiben zukommen/ darinnen sie sich des gemachten statuti, zum höchsten beschweret/ Wir auch im Augenschein befunden/ daß dieses viel zu einem andern ende angesehen/ Als Wir Uns vermueten können/ vnd solches dem Religion frieden/ dar
vber

vber Uns als einem Fürsten des Reichs zuhalten/ gebüret/ ex diametro
 zu wider gelauffen: Als seyn Wir zu dem Decreto cassatorio, welches
 Wir mit gueten bedacht selber mit eigenen handen concipiret, bewogen
 worden/ darbey Wir es auch nachmals / auß beweglichen vhrsachen / vnd
 andere inconuenientias, zuverhüten/ entlich bewenden lassen/ vnd solches
 viel mehr darumb / daß Wir schon vom Kayserl: Hoffe avisiret worden/
 daß die Catholischen Capitularn/ sich dessen bey dem Nuntio Apostolico
 beschweret / der es auch schon anbracht / vnd darauff gestanden / wann es
 durch Uns nicht verhindert worden/ daß ein beschwerliches Mandatum
 Cassatorium, ergangen seyn würde/ wolten sie nochmalß trewlich erinnern
 haben/ sie wolten dieses besser erwegen / vnd der Sachen ferzner nachden-
 cken/ vnd nicht so viel auff das gegenwertige/ sondern mehr auff das künff-
 tige sehen/ vnd ob sich dergleichen hochschädliche Newerung / vnd hierauff
 erfolgte confederationes, verantworten/ vnd manu tenere lassen wol-
 len. Vnd ob gleich von ihnen etliche Exempla partis aduersæ angezogen/
 so könten Wir doch durch dieselbige / weil sie selber solche improbiret / es
 auch ohn das/ in solchen wichtigen Sachen nicht exemplis sich induciren
 lassent/ Uns zu keiner widrigen meinung bewegen lassen / vnd solten sie doch
 bedencken was sie hiedurch den Catholischen für anlaß geben/auff ebenmä-
 ßige statuten verdacht zu seyn / hinfüro keinen Evangelischen Bischoff zu
 wehlen / oder Capitularn zu dulden / vnd was durch dergleichen persona-
 les affectus, vnd persecutiones, in künfftig den Evangelischen / für
 groß Nachtheil vnd Zerruttung im Heyligen Römischen Reich zugezogen
 werden köndte. Sonsten aber lassen Wir ihre schriftliche voreinbarung
 auff ihm selber beruhen/ vnd zu ihrer verantwortung stehen/ vnd wirdt
 ins künfftig die zeit geben / was sie dardurch effectuiren/ vnd wie ein hohes
 verantworten sie auff sich laden würdē/ dieweil sie auch auff die Landschafft/
 welche diese Sache nicht angehet/ sich darein zumischen kein befugnuß hat/
 ganz nicht zustewren. Was sonsten ihre angehenckte betrohung anlangt
 dieweil solche etwas dunkel gesetzt/ vnd nicht eygentlich wohin solche gemei-
 net/ wir allequiren können; Als erfordert demnach unsere Notdurfft/ der-
 selben

selben ferner declarationē, Uns darnach habende zurichten / zuwissen. Das aber auch vnter anderen angezogen / das zuvorfang des Christlichen Reformationwercks vnd Abrede zuwider / publica exercitia von den Catholischen wider zur Handt genommen werden solten / das gehet auß einem anderen fundament, vnd haben Wir billich vrsach / dasselbige zuändern / wollen auch nicht vnterlassen / solches an die Catholischen gelangen zulassen / ihnen dasselbige zuverweisen / zu inhibiren, vnd gegen die Vberfahrer / vns die Straffe vorbehalten: Vnd dieses so viel den ersten Punct / das vorbringens anlangen thuet / haben Wir zu vnser entlichen resolution, von vns geben wollen / vnd weil wir bey derselben zuverharren gemeinet / dieselbe auch gegen Männiglich / so friedliebendes Gemüths / vnd die mehr auff das künfftige / als gegenwertige zusehen / ihren Verstandt anlegen / zu manuteniren entschlossen:

Als erachten Wir vnndtig / dieweil Wir gnugsamb gehöret / was vns zu dem Decreto cassatorio, beweget; dieser wegen / dardurch infinitas disputationes, dardurch Wir vns im geringsten aber nicht / bewegen lassen können / zuerregen / gebettener massen dasselbige / was die Capitulares Catholici, bey vns gesucht / vnd vorbracht zu Communiciren, wir Wir dann vns auch zu den Evangelischen Capitularibus, mehrer Bescheidenheit / als das sie vns / vnd theils die / so vnter ihnen / wegen ihrer Jugend ganz vncersahren / vnd das sie zu Regiments: vnd Reichs Sachen niemals gezogen / vns modum procedendi, dessen Wir Gotts lob / mehr vergessen / als wir von ihnen erlernen werden / vorzuschreiben / sich anmaßlich vnternommen / vnd so vnbescheidener weise / vns gleich zubetrohen / vnd ein widriges gleich abzutrosen sich vnterfangen sollen / da ihnen doch billicher gebüret / sich hierbey zuerinnern / das sie sambtlich durch vnser hülff / vnd befürderung / zu derogleichen dignitatibus erhoben / vnd daher solches mit mehrer höfflichen Danckbarkeit zuerkennen / gebüret / vnd wol angestanden.


So viel den andern Punct ihres vorbringens anlangen thuet / haben wir mit grosser befrembdung vernommen / das man vns / ohn alle
 E noch/

noth / ursach / vnd grund / so vnverschämpter weise / die Capitulationem, so gar vnzeitig vorzucken dürffen / vnd dardurch gleich was Wir für Dieser halten solten / Ziel vnd masse vorschreiben will.

Diemeil Wir aber bishero bey vnser jetzigen anwesenheit / alhier / noch nicht befunden / das solche wichtige Sachen / vns auß dem Stifte zugeschicket worden / deren wir ohne zuziehung eines sonderbaren referenten, nicht gnugsamb sein können: Diemeil wir all dasselbige / was vns dergestalt zugeschicket / selber erbrochen / gelesen / vnd mit eigenen Händen expediret: Als lassen wir denselben Punct / auff ihm selber beruhen / erbiethen vns aber dahin / da wir in künfftig befinden solten / das vns Sachen auß dem Stifte zugeschickt wurden / so vnseren Verstande zu hoch / vnd eines sonderbaren referenten vonnöthen / das wir auff solchen fall / vns zu solcher behueff / selber ein taugliche / vnd vns angenehme Person / darzu eligiren wolten.


Diemeil aber auch hieneben vnser jetzigen Secretarij an ihren Ehren hart angezapfft / vnd aller Vntrew beschuldiget werden wolten / dergleichen wir doch bishero an ihnen nicht gespüret: als begeren wir in Gnaden / daß sie die Capitularn in specie, wer hierunter gemeinet / anzeigen / auch mit Grundt / vnd Bestandt / worinn solche beschuldigte Vntrew / vorgegangen / auffsetzen sollen / auff welchen fall wir dann gemeinet nachforschung zuhaben / darauff der beschuldigte mit seiner verantwortung zuhören / auch nach befindung / daß darinnen zu statuiren, was sich gestallten Sachen eigen vnd gebüren wolte / daß aber den Catholischen / Copia, vnser Decreti Cassatorij Communiciret worden / solches ist auff vnsern Befehl / vnd auß denen sonderbaren Ursachen geschehen / damit sie vnser Gemüth / vnd Meinung / dieser wegen erfahren / vnd nicht ferner bey dem Nuntio Apostolico, anzuhalten / vñ beschwerliche nachtheilige Proceß außzuwürcken / verursacht werden mögen / tragen auch solcher beschehenen Communication, durchaus keinen schew / 2c. Vnd verbleiben ihnen sonsten mit allen Gnaden wolzugehan: Datum Pragæ, den 10. Julij, Anno 1613.

Henricus Julius St.



A V G V S T A E V I N .
 D E L I C O R V M T Y P I S
 A N D R E A P E R G E R I

Anno M. DC. XXV.



TK 4441


ULB Halle 3
003 550 354



kon

nc





HEM
PAT

GER
SEN

*In qua docetur q
ferioris*

QVIDQ
videatur

Nil
Qu
Tut
Ex



ex

34
N.
BE-

M N.
A M-

Saxonia in-

NDVM
offint

